

iudicabis Sed si diuersi generis species inter se multiplicantur, aufer no-
 tarum numerum minorem à maiori, & reliquus numerus iudicabit tum
 genus tum speciem, quæ ex illarum multiplicatione existit, vt si multipli-
 ces tertia scrupula in primas sexagenas, ablata vnitas ex ternario relinquit
 binarium. Ideo pronuntiabis ex multiplicatione hac nasci secunda, &
 quidem scrupula, non sexagenas eò quòd scrupulorum nota maior erat,
 quàm sexagenarum.

Secunda.

Iam ex his apparet veritas prioris regulæ, quòd mutua duarum spe-
 cierum multiplicatio gignat aliam speciem, quæ tot interuallis abest à
 multiplicanda, quot interuallis multiplicans ab integro. Repetatur enim
 proximum exemplum, in quo terijs scrupulis multiplicatis in primas
 sexagenas fieri diximus scrupula secunda, Sicut enim 3^a scrupula tribus
 absunt interuallis ab integro, ita & totidem interuallis à primis sexage-
 nis absunt secunda scrupula. Vel sicut inter integrum & primas sexa-
 genas vnum tantum interest interuallum, ita quoq; inter secunda scrupu-
 la & terria.

Integrum autem quamcunq; speciem multiplicet, gignit per se qui-
 dem eandem, sed fieri potest, vt altera quoq; species accedat, nempe su-
 perior vel anterior, vt paulò post dicendum erit.

*De duabus
 sequentibus
 tabellis.*

Et si autem studioso lectori arbitramur hæc satis facere, ramen quia
 alia alijs sunt grata vel apta, non piget etiam duas tabellas adijcere, quæ
 emergentem speciem oculis ipsis subijciunt, quarum altera triangularis
 est, altera quadrata. Prioris tabellæ vsus erit, cum species eiusdem generis
 inuicem multiplicantur, siue scrupula in scrupula siue sexagenæ in sex-
 agenæ. Quæres autem, species inter se multiplicandas in extremo gno-
 mone, qui superiori vel transuerso latere & descendenti aream tabellæ
 intra se admittit ita ut semper maiorem speciem accipias in transuer-
 so latere, minorem in descendente. Angulus enim communis seu pro-
 felis angularis, vt quidam loquitur, indicabit speciem nascentem ex mul-
 tiplicatione, ut si multiples quinta in tertia, in profelide angulari obijci-
 untur ga quæ inde nascuntur, Nascuntur autem scrupula ex scrupulis,
 sexagenæ ex sexagenis vt prius dictum est.

At posterioris ac quadratæ tabellæ vsus est cum inuicem diuersorum
 generum species multiplicantur. Similis autem gnomon quadrata in
 aream intra se admittit, in cuius quidem gnomonis latere transuerso vel
 superiori species scrupulorum ordine collocantur vsq; ad decima in de-
 scendenti autem latere sexagenarum species.

Cum igitur diuersæ species multiplicantur, scrupula in hac tabella
 fursum quære, sexagenas deorsum, rursus enim in profelide angulari
 obijcietur species, quæ emergit, scrupulorum quidem si fuerit supra
 B 2 lineam